



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. De infidelibus 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](#)

ratione naturali perpetuò mentibus nostris inscripta est, cap. unico^{sup.} Depurificat post part. c. Translato 3, sup De confit. D. Thom. in 1, 2, qu. 103, art. 3, ad 2, Covarr. refol. lib. 1, cap. 17, n. 1, Ergo in gradibus illis olim divinā legē prohibiti restē hodie dispensatio sit. Negari tamen non debet, quia aliqui gradus in Levitico prohibiti adhuc hodie perseverent, videlicet inter parentes & liberos, inter fratrem & sororem, inter novicem & privignum, quia hi iure naturali pro-

bibit suū contrahere, ut suprā dictum est. Hinc Canon Concilii Tridentini: Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedi matrimoniū contrahendum, & dirimere contratum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constitutere, ut plures impediāt & dirimant, anathema sit. Concil Trident. a. Sess. 24, de Sacram matrim. can. 3.

In Cap. De infidelibus 4.

SUMMĀRIA.

1. Matrimonium infidelium etiam in gradu à lege canonica prohibito non dissolvitur ob baptismum.
2. Matrimonium cur dicatur individua consuetudo.

Sententia hujus Cap. est, quod matrimonium infidelium legitimū sit, etiam si contractum sit in gradu à iure canonico interdicto; nec ob id dissolvi, si alter, vel uterque eorum Baptismi Sacra nocte initetur. Ratio prioris membrī hoc textu redditus, quod Christus à Iudeis interrogatus, Matth. 19, utrum licet ex quādam causa dimittere uxorem respondit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Per hoc innuens (inquit textus noster) matrimonium esse inter Iudeos. Altera & hæc reddi potest, quod Iudei alioqui infideles non ligentur canonice sanguinibus, utpote quod extra Ecclesiam sunt. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? inquit D. Paulus, 1, ad Corinth. 5. Et hanc rationem reddit Iacob. III. in e. Gaudemus 8, inf. De diuort. Unde sit, quod matrimonium etiam in secundo consanguinitatis gradu apud Ethnicos iure subsistat, juxtas duorum Instit. Denupt. cū apud Iudeos, & apud hos quoque secundus gradus non sit inhibitus à lege Mosaica, teste Præposito

hic, de quo videc. 18, & 20, Levit. Posterioris vero membra, quod scilicet hujusmodi matrimonium per baptismum subsequentem non dissolvatur, superiore cap. hanc attulimus rationem, in eod cap. Gaudemus, quod per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.

Neque moverit in Iudeis, quod ipsis permisus sit libelus repudiū, ut, si displicuerit uxor, pertueriat eam impunè dimittere, Deuter. 24, cap. 6. et can. Non satis xxxiv q. 1. At matrimonium legitimū dici non potest, quod non continet individualū vitæ consuetudinem, ut habet definitio matrimonii, tit. Instit. De patr. potest in pr. & in cap. Illud 11, sup. De presump. Non igitur est matrimonium apud Iudeos. In cuius solutione variant hic interpres. Sed repero, quæ dicta sunt suprà, * quod matrimonium id est dicatur indissolubile, consuetudo sive conjunctio, non quod semel legitime contractum nullā ratione dissolvi possit, sed quoad mentem contrahentium hoc est, quod non aliter contrahi possit, quam ut contrahentes perpetuo inter se vinculo conjuncti maneat. Nam ad tempus matrimonium contractum nullius momenti est, c. fin. sup. De condit. appos. Unde non nocet matrimonio, quod ex post facto per libellum repudiū aut aliter legitime dissolva tur.

In Cap. Quod super.

SUMMĀRIA.

1. Affinitas inter quos contrahatur.
2. Affines unde dicti.
3. Affinitas oritur etiam ex concubitu illico.

Hoc Cap. docemur, affinitatem tantummodo contrahi inter maritum & consanguineos